

## TENTAMEN VII.

De

*Clepsydris & harum nova sbole, Clepselæis.*

## I.

**Q**uandoquidem ea, quæ ante hos annos decem de Clepsydrarum Phænomenis & horum causis in Disputatione quadam publica tradideramus, deinceps experimenta nova nobis pepererunt non una, occasionemque præbuerunt fabricandorum organorum non solùm multæ jucunditatis, sed haut exiguæ quoque, uti speramus, utilitatis; & horum effecta, & illarum etiam vulgatoria Phænomena junctim exhibere spectanda nostris Auditoribus, & junctim etiam deinde hoc loco describere constituimus: tum, quòd ejus Disp. nostræ ne unicum quidem exemplum superesset, tum verò vel maximè, quòd una sine alteris satis evidenter declarari capi-que non possint.

II. Monendum igitur ante omnia erat, quòd, cum Veteres duplex instrumenti genus eodem *πλεψίδρας* nomine notare consueverint, alterum *ώρολογικὸν*, quod lento furtim elabentis aquæ fluxu tempora ipsorum mensurabat, in nostra postmodum *πλεψίμητα*, quæ subtilioris arenæ lapsu idem commodiùs & (accidentibus subinde novis artificum inventis) perfectius præstant, commutatum; alterum *ἄναδευτικὸν* (figere vocem licet) h.e. *rigatorium*, irrigandis hortis, quin & hauriendis ac transfundendis quibuscunque liquoribus, maximè idoneum, de posteriore genere solùm hoc loco agere, nobis sit propositum.

III. Ostendimus deinde, hujus instrumenti meminisse inter cæteros *Aristotelem* ejusque Interpretes quam frequentissimè, prout videre licet Lib. I. de Cœlo cap. 13. Lib. de Respiratione Cap. VII. (quo loco totam clepsydrarum

P

ratio-